SAMMELHANDSCHRIFT (ZUM PERSÖNLICHEN GEBRAUCH ANGELEGT VON IOHANNES SCHLITPACHER)
Melk, 1468-1475 Seite 12v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40115
Copyright: Melk, Benediktinerstift



Ihu qui terribiles voces iudeorum clamantium
crucifige crucifige audire non expavisti
Da mihi inimicorum meorum vocis exercitibus non
terreri et lingua mea nocumentum pro eo non
inferre

Quarta pars de hora sexta

Domine ihu xpe fili dei vivi qui hora diei sexta
pro salute humana ante tribunal pro ylati
adduci et iudicio sisti voluisti Da mihi ante
tribunal mentis mee conscendere et me ipsum de
culpis meis conscientie testimonio districtius iudicare
iudicium quoque tuum in adversis tam patienter hic sub-
ire ut iudicio tuo eterno valeam securius astare

Ihu qui sententiam condemnationis ad mortem mor-
tem autem crucis innocenter subire voluisti
fac me iustam mortis sententiam sed in corpore sed in anima
non mereri et tuo amore iniqua hominum iudi-
cia non timere

Ihu qui crucem tuam propriis humeris baiulare
voluisti fac me crucem arcioris continentie
sponte apprehendere eamque post te quotidie bai-
lare

Ihu qui ad crucifigendum in golgata deduci
voluisti Deduc me in semita mandatorum
tuorum ut cum sanctis tuis vilioribus tue sequar vestigia